

nuntiare Sponsalibus, & juri ex iis sibi acquisito, consequenter partem alteram reddit liberam ab obligatione, ita, ut si velit cuius alteri nubere valeat, quamvis etiam, si velit, expectare possit actuale Professionem, & ea non secuta partem suam ad Matrimonium urgere per dicta *num. preced.*

236 Resp. II. Votum suscipiendi sacros Ordines potest quidem ex parte validum & licitum emittere, id tamen illicitum & invalidum est, quatenus præjudicat Sponsæ: nec Sponsalia ex parte utriusque dissolvit. Hanc Conclusionem tenent Omnes *nu. 230.* citati, docentes, Sponsum non posse licite suscipere sacros Ordines; consequenter nec votum, quod in præjudicium Sponsæ eos suscipere velit. Conclusio probatione non indiget, cum necessarium sequatur ex Conclusionem *num. 230.* posita; hoc ipso enim, quod Sponsus licite non possit suscipere Sacros Ordines, votum illos suscipiendi, & valide emittere non potest; quia votum de re illicita nec licitum, nec validum est, *arg. c. Quantum de Jurejur.* Notat tamen Sanchez *lib. 1. Disp. 47. num. 4.* per tale votum solvi Sponsalia ex parte Sponsæ, eod quod Sponsus merito censetur ei remittere jus suum, & renuciare Sponsalibus: Quamvis enim tale votum sit nullum, ipse tamen, quantum est in se, intendit & vult assumere statum Matrimonio repugnantem, consequenter juri ad hoc renunciare; ut proin Sponsa cognito tali voto prohiberi possit alteri nubere, *arg. c. Veniens, qui Clerici vel voventes, vel ita voventem ad eadem nubendum adigere.*

237 Resp. III. Quamvis post Sponsalia jam contracta possit quis ex parte licite & valide votum perpetuam continentiam, tamen hoc continentie votum, quantum præjudicat comparti ex sponsis, non valet, nec dirimit Sponsalia ex parte voventis, bene vero ex parte alterius. Sanchez *lib. 1. Disp. 46. numer. 9.* Barbosa *in c. Veniens, qui Clerici vel voventes. num. 2.* & ibi Abbas *num. 5.* Ancharanus *nu. 2.* Joan. Andreas *num. 3.* & Canonistæ ibidem communiter, item Layman *loc. cit. num. 6.* Castro Palao *loc. cit. num. 6.* Engel *h. i. §. 3. nu. 9.* cum communi aliorum, contra D. Thomam *in 4. disp. 38. q. 1. a. 3. Questum 2. ad. 3.* & plures alios apud Sanchez. Probatur conclusio, quod non dirimat Sponsalia ex parte voventis, *ex cit. c. Veniens, qui Clerici, vel voventes;* uti Papa post Sponsalia ita voventem puniri jubet. Ratio est; quia tale votum, in quantum est in præjudicium & injuriam tertii, non est Deo gratum, nec ab eo acceptatur; sicut non acceptaret votum, quo quis voveret Deo, aut causæ pie offerre domum, quam prius alteri jam promiserat, & ad quam alter jus jam habet: hinc, quia votens continentiam prius jam, ut supponitur, promissit corpus suum alteri parti, hæcque habeat jus ad illud. Deus votum, quo sibi in præjudicium & injuriam hujus promittitur tale corpus, non acceptat, consequenter quantum alteri præjudicat, non valet, nec quidquam efficit.

238 Probatur altera pars Conclusionis, videlicet, quod tale votum dissolvat Sponsalia ex parte non voventis *ex cit. c. Veniens, qui Clerici, vel voventes;* uti tacite approbatur, quod vir cognito voto continentie à Sponsa emisso, alteri nupterit; quod facere non potuisset, si per votum Sponsæ Sponsalia ex parte sua soluta non fuissent. Ratio est, quæ in *preced. Conclus.* quia videlicet talis merito censetur renuciante Sponsalibus, & juri sibi ex illis quæsitio. Et ideo hanc partem Conclusionis, teste Sanchez *loc. cit. numer. 5.* tenent Omnes.

Objicies contra utramque Conclusionem *num. 239. 235. & num. 236.* positam illud Tritum *ex c. Pervenit. 3. de Jurejur. Promissum non infringit, qui in melius illud mutat,* sed qui vovet sacros Ordines, aut perpetuam castitatem, Promissum Matrimonium, seu Sponsalia in melius mutat; cum juxta omnes status Clericalis, & virginalis sit perfectior, ergo. Unde ex hoc communiter docent Doctores, Sponsalia habere tacite imbitam illam conditionem: *nisi quid perfectius, seu statum perfectiorem elegero.* Resp. Illud *ex c. 3. de Jurejur.* desumptum procedere, ubi utrobique eidem promissarius est; consequenter talis commutatio de voluntate creditoris fiat, uti fit, dum votum minus perfectum in perfectius mutatur; in his enim idem promissarius, & creditor Deus est; qui utique concedit, quod loco imperfectioris ei præsterit perfectius. Secus est in promissis in favorem hominum factis; utpote quibus meliora non semper placent, *l. Mutuum. 2. §. 1. ff. de Reb. credit. præsertim,* si non idem promissarius, & creditor est. Ad illam conditionem, quæ dicitur tacite imbita, jam patet ex dictis *num. 232.*

Objicies II. Quando duo vincula incompatibilia concurrunt, tunc fortius prævalet *arg. c. Si inter. h. i.* atqui vinculum Religionis ex voto proveniens est fortius vinculo fidelitatis ex Sponsalibus consequente; ergo. Resp. Majorem esse veram, quando utrumque vinculum validum est: Secus si unum est invalidum, uti in præsentii est votum suscipiendi sacros Ordines, aut continentie in quantum alteri præjudicat.

Instabis. Ex hoc sequeretur talia vota à Sponsis facta ex toto esse inania, utpote invalida, ac illicita; *Sequela videtur esse contra Jura arg. c. Quidam. c. Placet, de Convers. Conjug.* Resp. negando *Sequela;* quia talia vota non ex toto, sed solummodo in tantum sunt invalida, illicita, ac inania, in quantum præjudicant tertio, uni nempe ex Sponsis: de reliquo in quantum sine præjudicio tertii observari possunt, licita omnino, & valida erunt ut proin quamvis illicita, & invalida agat, qui ita vovet sacros Ordines, aut continentiam, quod etiam invitâ alterâ parte velit suscipere Ordines; eaque repallâ, seu in Matrimonio non acceptatâ continentiam servare, uti bene observat Sanchez *lib. 1. Disp. 46. num. 10.* per hujusmodi disputata, tamen valebunt hujusmodi Sponsorum vota, in quantum sine præjudicio alterius observari poterunt, ut proin vi talis voti omnino teneatur Sponsus suscipere Ordines, aut abstinere à nuptiis, & servare castitatem, si alter consentit. *Secundò* debet tale votum perfectè adimplere mortuâ inâ compare. *Tertiò,* si continentiam vovit, debet à peccando debito abstinere, donec cum eo dispensetur, *arg. cit. c. Quidam, & c. Placet, de Convers. Conjug. ibi: Ed quod licet votum jus usquequaque non tenuerit eatenus tamen obligatorum est, quatenus se poterat obligare.*

Quæcumque autem hæcenus diximus, intelligenda sunt de votis subsequentibus Sponsalia jam contracta; si enim tale votum præcedit, & Sponsalia primùm subsequantur, certum ac indubitatum est, quod ratione talis voti Sponsalia sint nulla, & invalida, uti cum unanimi bene advertit Sanchez *lib. 1. Disp. 46. numer. 2.* quia tunc Sponsalia continent rei licite promissionem, quæ utique non obligat. De quo magis infra *Tit. VI. Qui Clerici, vel voventes.*

De reliquis Causis solvendi Sponsalia, ob Matrimonium, vel Sponsalia posteriora, Fornicationem, Impedimentum, vel alias mutationes supervenientes emergentibus.

SUMMARIUM.

- 242 Per Matrimonium solvuntur Sponsalia cum alio contracta.
- 243 An autem, & quando per Sponsalia posteriora? Remissive.
- 244 Per fornicationem sive à Sponso, sive à Sponsa post Sponsalia commissum, solvuntur ex parte innocentis, non vero nocentis. Et num. seq. Turpius eicitur, quam non admittatur hospes ibidem.
- 245 Delicta suos debent tenere authores, nec ex eis quis debet facere meliorem suam conditionem.
- 246 Propter fornicationem Sponsæ præcedentem Sponsalia, potest Sponsus dissolvere Sponsalia. Et num. seq.
- 248 Non item Sponsa ob præcedentem fornicationem Sponsi. Et duobus num. seq.
- 251 Nisi Sponsus cum pluribus fornicationem commississet, aut ex una prolem jam haberet.
- 252 Ob fornicationem Sponsæ etiam vi oppressæ Sponsus jure solvi Sponsalia.
- 253 Sicut etiam ob oscula, velus impudicos ab eadem sive ante, sive post Sponsalia admissos.
- 254 Non tamen contra id potest Sponsa, nisi Sponsi tactus sint frequentes.
- 255 Generalis Regula, quandonam superveniens mutatio notabilis præbeat causam solvendi Sponsalia. Alius agentium non operantur ultra voluntatem eorum. Ibid.
- 256 Quis, & quomodo judicare debeat de tali mutatione?
- 257 Quid Juris in dubio?
- 258 Mutatio corporis notabilis censetur quivis moribus incurabilis: non etiam morbus gallicus, aut amissio membri.
- 259 Item superveniens notabilis deformitas corporis, aut amissio membri.
- 260 Nec non sterilitas Sponsæ aut impotentia vitæ congediendi ex parte Sponsi.
- 261 Ob Mutationem notabilem in bonis fortune solvi possunt Sponsalia, etsi contingat absque causa. Et nu. 262.
- 262 Ex eo, quod unus Sponsorum evadat ditior, non solvuntur Sponsalia.
- 263 Si ambo Sponsi ad paupertatem veniunt, ambo resiliere possunt.
- 264 Etiam ob jacturam futurorum bonorum fortune solvuntur Sponsalia.
- 265 Etiam ob notabilem mutationem animi, v. g. supervenientem insaniam solvuntur Sponsalia.
- 266 Idem ob morum asperitatem.
- 267 Nec non ob inimicitias, aut discordias, odia, aut scandala inter ipsos Sponsos.
- 268 Aut eorum Consanguineos timenda.
- 269 Horum omnium ratio.
- 270 Sola contradictio parentum non est sufficiens causa solvendi Sponsalia.
- 271 Solvitur instantia.
- 272 Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, continent firmitatem. Ibid.
- 272 Matrimonium cedens in dedecus Familie, ac gravem injuriam parentum, contradictionis parentum dissolvi potest.

Promissio mala, seu mali non obligat. Ibid.

273 Matrimonium cum notabiliter inæquali ordinariè infelices foritur exitus, indeque ejus promissio ordinariè solvi potest. Et num. seq.

275 Episcopus (ordinariè loquendo) non potest dispensare in Denuntiationibus cum notabiliter inæqualibus.

276 Bene verò potest, imò tenetur dispensare, si parentes contradicunt, aut injustè impedire conantur Matrimonium inter æquales, aut non multum inæquales.

277 Contradictio parentum, consanguineorum, aut aliorum conjuncta minis de exhereditando, privando officiis &c. dat facultatem resiliendi: & cui? Et nu. seq.

279 Minus de exhereditando usque ad legitimum, aut negandi omne auxilium, vel dotem usque ad mortem, præbet alteri parti causam resiliendi. Et num. seq.

281 Nisi tempore contractûs hæc jam prævidisset, aut scivisset.

282 Pars illa Sponsorum, quæ minas de exhereditando, aliove gravi malo patitur, non potest resiliere, si ei nihil minus nubere velit comparis.

283 Probatur ratio.

284 Et absurdus aliis sequentibus. Et num. seq.

285 Absurda semper, & ubique sunt vitanda.

286 Si pars minas patiens non possit à compare solvi conformiter sustineri, resiliere poterit.

287 Observatio practica quoad hoc.

288 Inferuntur varie doctrinæ practicæ usque ad num. 293.

293 Si quis minas & effectum earum, aliudve malum fortunæ ex Matrimonio secutum non prævidit, & tamen illud promissit, promissis stare tenetur.

294 Ob superveniens impedimentum divinis solvuntur Sponsalia.

295 Tenetur tamen impedimentum ex sua culpa ponens procurare dispensationem.

296 Etiam propriis magnis expensis.

297 Quæ tamen ratio sunt necessaria.

298 Solvitur instantia.

299 Cause resiliendi tempore Sponsaliorum jam existentes, sed latentes, & postea innotescentes, effectus sunt.

300 Limitatur in fornicatione Sponsi antecedente.

301 Quid effectû occulto nocivo, vel Matrimonium notabiliter difficilius reddente laborat, teneatur manifestare, aut à Matrimonio abstinere.

302 Secus, si defectus non nocet, vel tam difficile Matrimonium non reddit.

303 Imò tali minori defectu laborans, potest cogere comparem ad servanda Sponsalia.

304 Qui sciens defectum in aliquo, tamen cum ipso Sponsalia facit, censetur renuciare juri suo.

305 Sicut etiam qui post patefactum defectum occultum fornicatur cum eo.

306 Limitatur pro Foro interno.

307 Solvitur objectio.

308 Ad solvenda Sponsalia ex justa causa per se non requiritur auctoritas Judicis.

309 Bene verò per accidens.

310 Et de Jure Speciali Diocesano, præsertim Frisingensis, quando Sponsalia sunt publica.

311 Quando causa dissolvendi est dubia, etiam de Jure communi requiritur auctoritas Judicis.

Nemo est Index in propria sua causa. Ibid.

312 Ad probandam dissolvendi causam, quæ est impedimentum dirimens, vel impediens, sufficit confessio utriusque Sponsi.

313 Imò unius Matrimonium affectantis.

314 Et jama legitime probata.

- 315 Sufficit etiam testimonium unius extranei, etsi inhabilis.
- 316 Quomodo jurato deponat, & non sit persona vilis. Et non sit.
- 318 Quomodo habere se debeat, qui scit occultum impedimentum inter Sponsos?
- 319 Unus testis sufficit, etsi Sponsalia sint jurata.
- 320 Contra Matrimonium jam contractum unus testis non sufficit.
- 321 Si causa dissolvendi non est aliquid ex impedimentis Matrimonii, tunc ad eam probandam requiruntur duo testes, aut aliis plena probatio.
- 322 Qui resistit iusta de causa proveniente ex alterius culpa, ad nullas tenetur huic impensas; quin potius hic obligatur illi ad expensas.
- 323 Neque tenetur ad expensas alteri, qui ex iusta alterius causa proveniente resistit.
- 324 Solvitur Objeccio.

242 **Q**ueritur I. An, & quomodo Sponsalia contracta dissolvantur per subsequencia alia Sponsalia, vel Matrimonium cum alio contracta? Resp. I. Quamvis illicitè quis contrahat Matrimonium post Sponsalia cum alia contracta, nihilo minus tale Matrimonium valet, & Sponsalia priora dissolvit. Est certa apud Omnes, textu claro c. Si inter. 31. h. t. & c. 1. de Sponsa duorum. Et hoc intelligit Primò, etsi priora Sponsalia juramento fuerint firmata; ut expressè habetur cit. c. 31. h. t. ibi: *Sive sit juramentum interpositum, sive non.* Intelligit Secundò, quòd etiam tali Matrimonio postea per mortem alterius soluto non amplius obligent præcedentia Sponsalia; quia obligatio semel extincta non amplius reviviscit, arg. l. 1. *Quæst. 1. de Sponsa duorum.* Et hoc in perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest; & amplius probat Sanchez lib. 1. Disp. 48. Ceterum ei, qui post Sponsalia contracta cum alia illicitè contrahit, ex violatione si seipenitentia injungenda est, ut dicitur cit. c. si inter. 31. h. t. & c. 1. de Sponsa duorum, ibi: *Poenitentiam agere debet de fide mentis.*

243 Resp. II. An, & quomodo dissolvantur Sponsalia per posteriora, vide infra Tit. IV. de Sponsa duorum.

244 **Q**ueritur II. An, & quomodo solvantur Sponsalia ob fornicationem, & tactus impudicos? Resp. I. Si Sponsus vel Sponsa post Sponsalia cum alio vel alia fornicatur, solvantur Sponsalia etiam jurata ex parte Innocentis, non item Nocentis. Bolco loc. cit. Conclus. 8. Sanchez lib. 1. Disp. 55. nu. 1. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 271. Abbas in c. Quemadmodum de Jurejur. & ibi alii Canonistæ cum communissima, & hodie certâ aliorum. *Prima pars*, quòd solvantur ex parte Innocentis expressè dicitur c. Quemadmodum. 25. de Jurejur. ubi ratio additur: *Tum quia quisvis sub hac tacita conditione censetur spondere; nisi contra fidem Sponsalia egerit; Tum quia ob fornicationem a thoro rejici potest conjux; ergo multo magis Sponsa; nam (uti ibidem additur) Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*

245 *Alterâ pars*, quòd ex parte nocentis non solvantur Sponsalia, consequenter is adhuc teneatur nubere innocenti parti, si hæc velit, caret omni controversiâ. Et ratio est: *Tum quia peccata suos auctores tenere debent, c. Quæsit. De his, que sunt à majore parte. Tum quia Nemo ex delicto meliorem suam conditionem facere potest, l. Non fraudantur. ff. de R. J. simulque, quòd statutum fuit ad pœnam, trahi non debet ad gratiam. Inter corporalia, de Translat. Episc.*

246 Resp. II. Propter fornicationem Sponsæ Sponsalia præcedentem, à Sponso tamen ignoratam solvantur Sponsalia: non item ob præcedentem fornicationem Sponsi. Primam partem tenent Bolco

in Theolog. Sacram. p. 5. Disp. 11. sect. 2. Concl. 8. Sanchez loc. cit. Disp. 67. num. 3. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 29. n. 4. Gutierrez de Sponsal. & Matrim. cap. 34. num. 2. Ledesma de Matrim. q. 43. a. 3. cau. 5. & alii. Ratio est; quia in Jure paria sunt aliquid supervenire, & præcedere ignorantæ; res enim dicitur fieri, quando innotescit, c. Pastoralis, de Except. Item quia paritate sunt in Jure non esse, & non apparere, l. Duo sunt ff. de Testament. Tut. & l. In lege. ff. de Contrah. Empt. ergo à sensu contrario paria sunt esse & apparere. Accedit, quòd universaliter loquendo emergente notabili mutatione solvantur Sponsalia per dicenda à nu. 258. Atqui præcedens fornicatio Sponsæ, ante Sponsalia ignorata, & post illa priùm cognita causat notabilem mutationem ex parte Sponsæ. Tum quia ex tali notitia Sponsa juxta communem æstimationem notabiliter evadit vilior: Tum quia probrosum est viro, corruptam ducere; & prudenter magis sit, virginem pro Sponsa, & futura uxore habere: Tum tandem, quia vir notabile damnum incurrit; cum ex eo, quòd ducat corruptam, fiet irregularis, utpote Bigamus, toto Tit. de Bigamis non ordinand. ergo.

Dices, hanc Conclusionem esse contra c. Quemadmodum, 25. de Jurejur. ubi ita habetur: *Si quis juravit, se duciturum aliquam in uxorem, non potest opponere fornicationem præcedentem, sed subsequenter, ut ducat eam in uxorem.* Resp. Textum hunc esse intelligendum de præcedente fornicatione à Sponso prius jam cognita, in quo casu ipsi diximus, Sponsalia ex nulla parte solvi; quia ut bene ibidem advertit Glossa x. Præcedentem, si quis scienter facit Sponsalia cum prius corrupta, censetur mores illius approbare, consequenter non potest eam amplius reprobare, arg. can. Horrendus. 17. cau. 32. q. 5. Secus est, si prius ignoravit; quòd enim ignoravit, non approbat; cum juxta Tritum, nihil voluit, nisi præcognitum. Hinc sicut juxta dicenda infra num. 259. potest quis ob alias causas prius ignoratas, & post Sponsalia cognititas dissolvere Sponsalia, sic etiam poterit ob fornicationem Sponsæ.

Alteram partem Conclusionis tenent etiam Sanchez loc. cit. num. 9. ubi eam tanquam certam pronuntiat, Bolco loc. cit. num. 122. Castro Palao loc. cit. num. 7. Gutierrez loc. cit. nu. 62. Pontius lib. 12. cap. 18. Cofinck Disp. 23. dub. 7. num. 62. contra Navarrum cap. 22. n. 27. Ratio est; quia juxta communem æstimationem hominum (quæ in hoc maxime attendenda est) non ita ignominiosum est, nec ita præjudiciosum femine, si nubat viro, qui prius aliam cognovit.

Dices: juxta Jura, & rationes num. 246. allegatas paria censentur nunc esse, & nunc apparere; atqui ob fornicationem Sponsi subsequentem potest Sponsa dissolvere Sponsalia; ergo etiam ob antecedentem, post Sponsalia autem priùm apparentem. Resp. Jura, & rationes allegatas procedere, quando est eadem ratio, idemque inconveniens, sive præcedat, sive sequatur causa dissolvendi, uti est in lepra v. g. morbo gallico &c. at in fornicatione præcedente & subsequente viri non est idem inconveniens; nam si post Sponsalia contingit, est contra fidem Sponsalium, ob quam violentam Jura Sponsæ tribuunt facultatem dissolvendi Sponsalia. c. Quemadmodum. de Jurejur. Secus est, si præcedit.

Dices: Eandem disparitatem in femina fornicante esse: ergo nulla solutio. Resp. concessio Ant. negando Conseq. quia fornicatio Sponsæ ante Sponsalia, consequenter sine violatione fidei facta continet aliam causam solvendi Sponsalia, videlicet, notabilem mutationem ex parte femine emergentem.

gentem per dicta num. 246. quæ mutatio, cum in viro prius fornicante non censetur adesse, juxta dicta num. 248. præced. sufficiens disparitas adhuc adest inter præcedentem fornicationem Sponsi, & Sponsæ.

251 Illud tamen cum Castro Palao loc. cit. numer. 8. Sanchez loc. cit. num. 10. Pontio loc. cit. cap. 18. nu. 2. Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. num. 11. & aliis notandum, quòd, si vir cum pluribus fornicatus esset, ita ut valde vitiosus esse modò cognoscatur, possit propterea Sponsa id prius ignorans solvere Sponsalia, quia in talibus circumstantiis etiam in viro prudentem judicio censetur notabilis adesse mutatio.

Idem foret, si vir ex præcedente etiam unica fornicatione prolem haberet. Castro Palao loc. cit. num. 9. Coninck loc. cit. nu. 62. & alii; idque ob rationem citatam; præsertim quia inde etiam redditur Matrimonium diffusile ob alimentationem proli, & multas discordias exinde oriri solitas.

252 Resp. IV. Ob fornicationem Sponsæ præcedentem, & consequentem Sponsalia, vir solvere potest Sponsalia, etsi Sponsa vi fuerit oppressa. Bolco loc. cit. n. 155. Sanchez loc. cit. Disp. 55. n. 7. Layman loc. cit. Navarrus cap. 22. n. 27. Non. Sylvester x. Sponsalia. q. 10. casu 7. arg. can. Raptor. 33. cau. 27. q. 2. & ibi Glossa x. Noverit. Ratio est; quia etiam per talem fornicationem Sponsæ fit notabilis mutatio ex parte Sponsæ. Accedit, quòd rarò inferatur tanta vis puellæ, quam ejus saltem aliqualis consensus aut minor debitò accedat cautela, vel resistens. Putat nihil minus Layman cum Sanchez loc. cit. quòd, si aperte constet, Sponsam absque omni culpa esse, non posse resillire viro; cum ex tali violentia tantum dedecus viro non enascatur, ipsaque puella ex hoc ipso honestissima cognoscatur.

253 Resp. V. Etiam ob oscula, amplexus, aut tactus impudicos à Sponsa liberè admissos, vel exercitos sive post, sive ante Sponsalia exercitos, Sponsus solvere potest Sponsalia. Bolco loc. cit. nu. 125. Layman loc. cit. num. 11. Sporer in Theolog. Sacram. p. 4. cap. 1. sect. 2. n. 273. & alii. Ratiocinetur; quia etiam in tali casu respectu Sponsæ censetur adesse notabilis mutatio, censeturque talis femina impudicè vivere, ut proin eam merito horrere possit Sponsus.

254 Sponsi tamen oscula, & tactus impudici cum altera commisi ante Sponsalia non dant Sponsæ causam sufficientem ad solvenda Sponsalia. Imò nec post illa, nisi fuerint frequentes. De antea factis patet; quia nec ipsa fornicatio præcedens id præstat, per dicta numer. 248. De postea autem factis docet Sanchez loc. cit. Disp. 55. num. 5. Bolco loc. cit. num. 125. Layman loc. cit. n. 11. Sporer loc. cit. num. 273. & alii; quia in viro tales actus ita prodiosi non sunt, ac in feminis, nec tam facile impudicæ vitæ notam incurruunt, nisi sint frequentes; uti bene limitant DD. citati, & merito; quia frequentia talium actuum post Sponsalia à Sponso cum alia habitorum, justum causat horrorem in Sponsa, estque contra Regulam deponitionis, fidelitatem nempe debitam, ob quod cuivis innocenti ex Sponsis licitum est resillire, textu claro cit. c. Quemadmodum de Jurejur. ubi habetur in Sponsalibus tacitam hanc conditionem contineri: *Nisi contra Regulam deponitionis venerit.*

255 **Q**ueritur III. An, & qualiter solvantur Sponsalia per supervenientem mutationem corporis, fornicatæ, animi &c. Resp. I. Generaliter loquendo quando occurrat post contracta Sponsalia ex parte unius intervenit notabilis, vel talis mutatio, ut si illam pars altera scivisset, aut prævidisset, Sponsalia non contraxisset, vel ex qua Matrimonium redditur

notabiliter difficilior, licitum est parti uni ab altera parte mutationem hujusmodi patiente resillire, Abbas in c. Quemadmodum. 25. de Jurejur. num. 10. Sanchez lib. 1. Disp. 62. n. 3. Bolco loc. cit. Concl. 4. Engel. h. t. num. 11. Pirhing h. t. nu. 63. Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. nu. 18. cum communissima aliorum, arg. cit. c. Quemadmodum 25. de Jurejur. ubi ob hujusmodi mutationes facultas resiliendi alteri parti conceditur. Ratio est; quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, siquidem Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum, arg. c. fin. de Præb. in his videlicet, quæ dependent ab intentione agentium, uti Sponsalia. Atqui Sponsi non alter invicem promittunt Matrimonium, quàm sub hac tacita conditione: *Si res in eodem statu permanferit, seu, si notabilis mutatio non emerferit, ut cum citatis berè observat Abbas loc. cit. arg. cit. c. Quemadmodum. de Jurejur. & c. Per vestras de Donat. inter virum & mulier.*

Quandem autem in specie fit censenda mutatio hujusmodi notabilis, standum judicio prudentum, præsertim Judicum, & assertioni promittentis, præcipue jurantis; aded, ut, si Sponsus vel Sponsa juratò affirmet, quòd Sponsalia minime fecisset, si talem mutationem futuram prævidisset, aut culpam occultam iam existentem prius scivisset, eidem in utroque Foro fides adhibenda sit, si judicio prudentum considerans circumstantiis verisimile sit, eam non fuisse promissuram, casu quo ea scivisset, aut prævidisset, Sanchez loc. cit. Disp. 62. n. 6. Layman loc. cit. num. 18. Navarrus n. 18. Sporer loc. cit. & alii. Ratio est; quia in his, quæ ad animam pertinent, & hominibus non innotescunt, neque testibus probari possunt, aut sunt intentio interna, scientia, ignorantia &c. standum est juramento asserentis. Doctores citati post Covarruviam lib. 2. Variar. Resolut. cap. 10. numer. 15. Terrio. Mascardus de Probat. Concl. 45. nu. 48. & Concl. 94. n. 5. arg. c. Pastoralis, de Except. ibi: *Nisi is, qui voluerit opponere, fidem faciat juramento se postmodum ad notitiam illius venisse.*

Porro si quis dubitat, an contraxisset, pro utroque Foro præsumi potest, eum non fuisse contraxerunt, si mutatio talis sit, quod ob eam alii prudentes non contraherent. Bolco loc. cit. nu. 120. ad finem, addens bonam rationem, quia fortissima præsumptio desumitur à communiter, & ordinariè accidentibus.

258 Resp. II. Inter corporis mutationes notabiles, ob quas à Sponsalibus resillire licet, sunt præter alias etiam in specie sequentes. I. Si qui ex Sponsis fieret leprosa, vel paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, Omnes textu expresso c. Quemadmodum. 25. de Jurejur. Idem est de aliis hujusmodi contagiosis, aut incurabilibus morbis v. g. epilepsia, vel si os malè oleat, & curari non possit, Layman loc. cit. Sanchez loc. cit. Disp. 57. num. 2. & alii communiter. Ratio est; quia de similibus idem est judicium, arg. c. Translatò. de Constit. Idem à fortiori dicendum, si quidquam ei turpius evenerit, uti habetur cit. c. Quemadmodum. Huc referunt DD. communiter etiam morbum gallicum: Verùm quia morbus hic hodie à peritis Medicis persicè & radicibus curari solet, ex eo solo causa solvendi Sponsalia non confurgit; præsertim, si dicat infirmus, se absque culpa eum contraxisse, esseque paratum ad curam & ejus expensas.

II. Licet resillire ob supervenientem alterius, præsertim Sponsæ, notabilem corporis deformitatem, aut membri amissionem, v. g. oculi etiam unius, vel auri, pedis, manûs &c. Sanchez loc. cit. Disp. 57. n. 4. Layman loc. cit. nu. 18. Innocentius in cit. c. Quemadmodum. & ibi Hostiensis, Sporer loc. cit.

num. 28. & alii. Ratio est; Tum quia etiam in talibus revera adest notabilis mutatio: Tum quia ratio ob quam in c. *Quemadmodum*, oculorum, seu nassus amissio præbet causam resiliendi, est, ne Sponsi ad invicem concipiant horrorem, & propterea à corpore sibi licito satisfactionem non habentes, aut horrorem concipientes, quarant aliam occasionem, vel certè non sine gravi incontinentiæ periculo, gravique onere perpetuo vivere debeant; atqui hæc rationes militent etiam in casu, quo notabilis corporis deformitas supervenit: ergo idem de ea dicendum; ubi enim eadem ratio, eadem est legis dispositio, arg. c. *Inter alia de Translat. Episc.*

260 III. Ob sterilitatem Sponsæ, aut impotentiam, aut inhabilitatem ritè congregandi ex parte Sponsi. Menochius *Concil. 786. num. 12.* cum communi ac certa. Ratio patet; quia Matrimonium principaliter institutum est ob generationem proles per vulgaria.

261 Resp. III. Circa mutationem in bonis fortune solvuntur Sponsalia ex parte unius per supervenientem alterius gravem inopiam; vel si Sponsus valde dives etiam abique culpa sua vergat ad gravem inopiam, aut gravissimam patiatur jacturam bonorum, v. g. injuriâ belli, incendiis, furti &c. vel si Sponsa promissam dotem asserre non amplius potest. Sanchez *loc. cit. Disp. 59. Layman loc. cit. num. 18. Menochius de Arbitrar. lib. 2. cent. 5. casu 455. num. 6.* & alii communiter ob rationem sæpè allegatam; quia prudentum judicio censetur intervenire gravis ac notabilis mutatio. Accedit, quod in specie dotis promissio fuerit conditio, sub qua fuit promissum Matrimonium; consequenter illa non impletâ, cesset promissio, c. *De Illis. 3. de Condit. appofita.*

262 Num autem unâ parte, Sponsa v. g. in suo honorum statu permanente, si pars altera ex inopinato notabiliter furerit ditior, v. g. ex hereditate, possit propterea hæc ab illa resiliere, major est controversia. Affirmant Hurtado *Disp. 2. de Matrim. Disp. 25. Perez Disp. 9. sect. 11.* sed rectius negant Sanchez *lib. 1. Disp. 59. num. 6. Gutierrez de Sponsal. & Matrim. cap. 33. nu. 4. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punct. 28. n. 5. Coniug. Disp. 23. dub. 8. num. 29.* Ratio est; quia, cum pars altera non sit effecta deterioris conditionis, non potest privari jure suo. Nec obstat subito superveniens fortuna: Tum quia aliàs etiam dissolvere quis posset Sponsalia ex eo; quia aliâ longè pulchrior, aut ditior ei vellet nubere, quod est contra communissimam Doctorem, & receptam praxin: Tum quia etiam in aliis contractibus v. g. emptionis, quando aliqua res, v. g. equus iusto pretio fuit emptus, debet actu tradi, licet pretium equi usque ad tempus traditionis creverit, Sanchez *loc. cit.*

263 Illud etiam circa supervenientem paupertatem observandum, quòd, si ambo Sponsi post Sponsalia ad paupertatem deveniant, v. g. tempore belli, utraq; pars à Sponsalibus pro libitu resiliere possit, ita, ut in hoc non detur compensatio paupertatis unius cum paupertate alterius. Castro Palao de *Sponsal. Disp. 1. punct. 28. num. 4. Pontius lib. 12. cap. 17. num. 8. Sporez loc. cit. num. 281. Bonacina, Tamburinus & alii per Jura num. 255. allegata.* Ratio est; quia, dum ambo ex statu honestiori ad paupertatem deveniunt, in ambobus contingit notabilis, & talis mutatio, ut ex hac ipsa minus apti sint ad onera Matrimonii sustinenda. Nec obstat, quòd aliàs duo pauperes Sponsalia contrahentes resiliere nequeant, sed ad nubendum obligentur. Nam contra est, quòd cum horum nullus patiatur aliquam mutationem, possint ambo sustinere Matrimonii onera pro conditione status pauperis

(in quo jam prius tempore Sponsaliorum fuisse) mendicando v. g. &c.

Resp. IV. Non tantum ob supervenientem gravem jacturam bonorum aut paupertatem actu jam præsentem, sed etiam futuram, imminentem, ac prudenter timendam, v. g. *Exhereditationem* parentum, consanguineorum, aut privationem Officii jam habiti, aut certæ spei ad acquirendum, habet pars altera, mutationem non patiens, justam causam Sponsalia dissolvendi. Castro Palao *loc. cit. num. 4.* citans Seraphinum *Decis. 1258. n. 1. & 2. Pontius lib. 12. cap. 17. n. 8.* & alii. Ratio est, quia non tantum præsens malum, sed etiam prudens, ac in virum constantem cadens timor futuri ac imminenti mali causat notabilem rerum mutationem, arg. c. *Requisivit. 17. h. t.* consequenter sufficiens est ad resiliendum per dicta num. 255. Præferim cum hodie in contrahendis Matrimoniis summe respiciatur non tantum ad bona præsentia; sed etiam certò, aut probabilissimè adventura, ita ut sæpè alteruter Sponsorum neutiquam contraheret, nisi spem prudentem futura bona acquirendi à comparte haberet. Verum de hoc amplius infra num. 270. & seq. ubi de contradictione parentum, ac consanguineorum, minisque eorum de exheredando specialiter dicemus.

Resp. V. Etiam ob notabilem mutationem animi, seu animorum justè solvuntur Sponsalia ex parte alterius. Omnes teste Palao *loc. cit. punct. 27. nu. 7.* Ratio est; quia boni animi præferuntur bonis corporis, per vulgaria: ergo si ob horum mutationem licet resiliere, etiam ob illorum licetbit: argumento à *Minori ad Majus* desumpto, conformiter *Auth. Multo magis. C. de SS. Eccles. Patet etiam inductione, sic enim I. Ex parte innocentis solvuntur Sponsalia, si alicui ex Sponsis emergat gravis infamia, ob sortum, homicidium, adulterium, aut alterius criminis gravis, Sanchez lib. 1. Disp. 57. num. 2. Palao loc. cit. Bosco in *Theolog. Sacram. p. 5. Disp. 11. sect. 2. Concl. 10. num. 153.* cum Communi. II. Si Sponsus cognoscatur esse ebrietas, aut lusum multum deditus, Castro Palao *loc. cit. Sporez loc. cit. n. 280. Gobath tract. 10. casu 8. n. 337.**

III. Si in eodem deprehendatur notabilis morum asperitas, aut sevitia. Gutierrez de *Sponsal. & Matrim. cap. 32. num. 1.* Sanchez *loc. cit. Disp. 58. num. 1.* Bosco *loc. cit. Abbas in c. Veniens, Qui Clerici, vel voventes num. 2. Palao loc. cit. cum communi & certa:* ubi etiam specialis ratio est; quia ob hanc causam conceditur Matrimonii divortium, c. *Ad literas. de Restitut. spoliat.* ergo multò magis dissolutio Sponsalium, arg. c. *Quemadmodum de Jurejur.* quia turpibus ejicitur, quam non admittitur homines, ut ibidem dicitur. Nec obstat c. *Veniens. 5. Qui Clerici vel voventes*, ubi multæ recusans Sponsio nubere ex eo, quòd plura audiverit de sevitia illius, dicitur violare votum, & juberi puniri. Resp. enim cum Glossa ibidem communiter receptâ illius formæ timorem fuisse vanum ac inanem, nec fuisse viri sevitiam probatam.

IV. Si capitales ac graves inimicitie, odia, & extraordinarie animorum aversiones inter ipsos orientur Sponsos. Gutierrez *loc. cit. num. 2.* Sanchez *loc. cit. n. 1.* Navarrus *cap. 22. num. 27. casu 11. Palao loc. cit. n. 7. Sylvestre v. Sponsalia q. 10. casu 8. Gobath tract. 10. casu 8. n. 337. Diana p. 11. r. 2. Resolut. 70. cum Communi ob rationem specialem c. 2. & c. *Requisivit. 17. h. t.* ne videlicet aliàs ex Matrimonio infelices sequantur exitus, continua ut frequentia jurgia, lites, scandala &c. Facit hoc Decisio S. Congregationis apud Dianam, & Gobath. *loc. cit. dicens. quòd, si unus Sponsorum ita incipiat abhorre ab altero, ut serio dicat, se malle quitare partem,**

potio, quàm huic conjungi, à coactione Judex desistere debeat. Attendere tamen Judex debet, ne interveniat simulatio, utpote que in hoc puncto sæpè contingit, quamvis sine peccato mortali eam facere nunquam possit Sponsi, nec eam absque peccato gravi suadere valeant Advocati, multò minus Confessarii, eò quòd Sponsalia sub gravi culpa obligant, nisi legitima resiliendi habeatur causa per dicta supra num. 137.

268 V. Solvuntur Sponsalia ob graves aut capitales inimicitias, odia, aut scandala inter parentes, aut consanguineos Sponsorum. Sanchez *loc. cit. Disp. 14. num. 3.* Castro Palao *loc. cit. Layman lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 2. num. 18. Felinus Consil. 26. num. 21. Navarrus cap. 16. nu. 18.* cum Communi arg. c. *Cum in tua. h. t. ibi: De fama vel scandalis.* Monet tamen meritò Sanchez, Castro Palao, & alii *loc. cit. Judices, & Confessarios, ut cautè procedant, & non faciliè vel statim credant, eò quòd ad declinandum Matrimonium pronissum sæpè fiant falsæ simulationes, jactentur minæ, terrorèque opponantur discordiarum, atque scandalorum pericula, quæ tamen experientia teste, quando deserbitur primus impetus, & matrimonium fuit celebratum, in nihilum recidunt, amique faciliè reconciliantur atque sedatur tempestas; præsertim, si ipsi conjuges ad invicem sunt benè concordēs. Et certè raro contingit, quòd ob Matrimonium contractum, inter parentes & consanguineos Sponsorum tantæ inimicitie, vel scandalorum aut discordiarum pericula imminant, quæ ad dissolvenda Sponsalia sufficiant, ut proin) exceptâ notabili disparitate status, de qua infra num. 272. & seq.) Judex rarissimè, & non nisi benè consideratis circumstantiis, causaque verè cognità ex hoc capite pro Sponsaliorum dissolutione judicare debeat; cum ordinariè pericula, ut allegantur, non subsistant, nec quodvis scandali, aut discordiarum periculum sufficiat, consequenter plerumque pars altera certo jure suo privari non debeat, arg. c. *In partibus de Reg. Jur. in 6.**

VI. Solvi tubidine possunt Sponsalia ob constantem ac justam contradictionem conjunctam gravibus minis, præsertim de exheredando. Verum de hoc specialiter statim infra num. 270. & seq.

269 Cæterum Ratio universalis & ulterior omnium harum Sponsalia dissolvendi casualium est illa, quam dedimus, & ex Jure probavimus num. 255. & numer. seqq. Cui accedit, quòd, si ob allegatas resiliere non liceret, ordinariè grave nimis ac durum foret parti innocenti tale Matrimonium inire, ac plerumque infelices sequerentur exitus, ob quos vitandos, Sponsaliorum dissolutio conceditur, c. 2. & c. *Requisivit. 17. h. t.*

270 Quæritur IV. An, & quando constans contradictio parentum, vel consanguineorum, vel aliorum, à quibus unus Sponsorum multum dependet, unâ cum gravibus minis, præsertim de exheredando, totaliter derelinquendo, Officio privando, aut negando &c. sufficientem causam præbeant ad solvenda Sponsalia? Placuit hanc causam per spectatè Quæsitum specialiter examinare; quia in praxi frequentissimè occurrit, & nisi benè, consideratis considerandis à Judice examinetur, facile ansam præbere potest, graviter præjudicandi partibus. Resp. I. Absolutè, ac simpliciter loquendo, sola contradictio parentum aut aliorum non præbet sufficientem causam dissolvendi Sponsalia, etiam abique eorum præscito & consensu mita. Hæc Conclusio hodie communis est, & certa præxi Tribunalium Ecclesiasticorum, atque consuetudine, quæ est optima legum interpretum c. *Cum dilectus 8. de Conjectur. & L. 37. ff. de Legib. conprobata.* Patetque ex dictis supra num. 23. & seq. ubi

diximus, & probavimus, valere Sponsalia etiam absque consilio, præscito, & consensu parentum mita; consequenter etiam non obstante horum consensu obligare; cum parentes solo suo dissentio facere, ac impedire non possint, quòd proles eorum liberentur ab illo, ad quòd sub peccato mortali tenentur; prout tenentur ad Sponsalia validè contracta, ut cum aliis benè advertit Layman *lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 1. n. 14.*

271 Nec obstat, quòd regulariter loquendo teneantur saltem ante Sponsalia petere consilium parentum, sicque absque præscito eorum spondendo peccent, & Sponsalia illicita contrahant. Nam contra est, quòd multa illicitè fiunt, facta tamen valent; siquidem multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, indeque licitè observari possunt & debent, ut cum aliis benè observat Layman *loc. cit. patetque in Matrimonio illicitè contracto, & aliis. Accedit, faciliè contingere posse, quòd parentes injuste contradicant; ergo absolute loquendo sola contradictio parentum ad solvenda Sponsalia non sufficit. Hinc Resp. II. Licet Sponsi sine præscito parentum Sponsalia contrahentes ordinariè peccent juxta dicta num. 24. tamen, si sint inter se æquales, vel saltem non multum dispares, Sponsalia valent & obligant, debentque executioni mandari, non obstante contradictione parentum, in quibus peccantes contrahendo impedire tale Matrimonium. Gutierrez *loc. cit. num. 29. Layman loc. cit. num. 14. & Quamvis & alii.* Patet Conclusio tum ex num. præced. tum ex eo, quòd, licet promissio modo illicito, infelices nempe parentibus & inconsulis, sit facta, sicque illicita existat, utpote peccaminosa ac illicita, tamen quia est de actu licito, & quia consideratis etiam circumstantiis licitè fieri potest; valet & obligat; consequenter parentes peccant impediendo liberos ab eo, ad quòd sub peccato tenentur.*

272 Resp. III. Si futurum inter Sponsos Matrimonium vergit in opprobrium parentum, ac dedecus familiæ, parentesque exinde multum indignentur, offendantur, contristentur &c. ut ordinariè contingit in casu notabilis disparitatis Sponsorum, tunc contradictio parentum non tantum justè fieri potest, sed etiam facta sufficientem præbet causam dissolvendi Sponsalia: imò in tali casu Sponsalia ex se censentur nulla ac invalida. Gutierrez *lib. 1. Can. 99. cap. 20. Layman lib. 5. r. 10. p. 1. cap. 1. num. 14. §. Enimverò. Menochius Consil. 60. Sporez in Theolog. Sacram. p. 4. cap. 1. §. 2. n. 203. Gobath Tr. 10. casu 3. n. 105. & 106.* Ratio est; quia in tali casu Matrimonium esset contra pietatem & charitatem parentibus & consanguineis debitam; imò etiam contra justitiam, utpote in præjudicium aliorum iniquè vergens, consequenter illicitum; atqui ad Matrimonium illicitè, seu cum peccato contrahendum nemo potest obligari: Nam in malis promissis fidem non expedit servari, c. *In malis. 69. de R. J. in 6. Impia enim est promissio, quæ scelere completur, ut dicitur can. In malis. 5. cau. 22. q. 4. unde ibidem dicitur: In malis promissis rescindit fidem.* Concordat l. *Juris gentium §. Generaliter. ff. de Pactis, & l. Generaliter. 26. ff. de V. O. ibi: Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Quòd autem fit contra pietatem & charitatem, quin & contra justitiam alicui indigno, aut indignæ cum probro, ac dedecore parentum nubere, patet ex l. *un. C. de rapt. virg.* Et ratio est; quia parentibus & propinquis probro, ac dedecore iniquè inferre, eosque graviter ac injustè offendere, & contritari contra charitatem ac pietatem eis debitam est, per ea, quæ Theologi communiter de quarto Præcepto Decalogi scribunt. Imò

quia etiam in eorum detrimentum vergit, cum exinde Familia maculam contrahat, minus aestimatur, & ab aliis horretur, etiam injuriosum, & consequenter contra justitiam est.

273 Inferitur I. cum praefatis Doctoribus, ordinariè loquendo in casu quo Sponsalia fiunt cum indigna parte, aut magna vel notabili cum disparitate, ut si quis de nobili stemmate Matrimonium promittit puellae plebeae, aut contra, Sponsalia aut nulla esse, aut contradictionem parentum vel consanguineorum sufficientem praebere causam eadem dissolvendi, ob Jura & rationes allegatas. Quibus accedit, quod, cum Sponsalia inter notabiliter inaequales, aut cum indigna ordinariè proveniant ex lascivo amore, qui utpote caecus praevidere non permittit sequentia inde plurima mala, ordinariè etiam infelicem exitum in Matrimonio habeant, subsequens plerumque continuus dissidiis, litibus, jurgiis ac scandalis inter ipsosmet, qui caeco amore seducti Matrimonium inaequale contraxerunt (quod ipsum ad dissolvenda Sponsalia jam sufficientem causam praebet, arg. c. Requisti. h. t. & per dicta supra numer. 267.) Postquam enim amor ille ardens & caecus post immodicam libidinem in Matrimonio brevi tempore defecit, incipit notabiliter dignior tunc primum ferentia mente clare videre stultitiam, quam commisit, praeruditionemque, ac probrum, quod sibi & aliis intulit, indeque amor vertitur in odium & averfionem, ita ut etiam incipiat compartem contemere, vilipendere, averfari, indignari, suum & compartis scelus detestari, fecutumque inde effectum Matrimonii maledicere, & majori odio habere, quam prius amor erat.

274 Et hoc plurimis confirmari posset exemplis tam sacris quam profanis: sufficiat exemplum Amonis, qui, licet ingenti aestu amoris libidinosi deperisset Thamar fororem, tamen postquam concubuit cum ea, exorsam eam habuit Amon odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo eam dilexit, Lib. 2. Reg. cap. 13. y. 15. Sic etiam Joanna II. Regina Neapolitana licet ingenti amoris libidinosi aestu deperiret Joannem Carazalum Rofcum ignobili genere ortum, eumque in Matrimonium duceret, tamen ob conditionis imparitatem eum brevi contemere, & tanto odio habere cepit, ut illum etiam trucidari jussit, prout loc. cit. refert Menochius. Plura de disparitate Matrimonii vide apud Tirac. de Legib. Connubii, leg. 5. Huc quadrat etiam illos Ovidii.

Si qua volens aptè nubere, nube pari.

275 Inferitur II. cum Gutierrez loc. cit. nu. 10. & 23. Menoch. loc. cit. & alii, in casu, quo Nobiles cum ignobilibus, aut aliis notabiliter dispares incisiis, aut invititis parentibus Sponsalia faciunt, Episcopos non debere, imò nec licite posse gratificare Sponsis, dum remissionem ob disparitatem in Denuntiationibus petunt, illam ordinariè allegando causam, quod parentes ex Denuntiationibus in notitiam venientes sint injustè impedituri Matrimonium, ac libertatem statim de Jure eis debitam impedituri. Cum enim parentes in tali casu justè impedire ac contradicere valeant, Ordinarius omitto Denuntiationes, hoc jure eos non privare, sed potius, ut eodem pro libitu utendi liberam facultatem habeant, Denuntiationes praefatas fieri curare debet; praesertim, cum ipsis liberis exinde nulla irrogetur injuria, utpote qui in hoc parentibus obtemperare, & tale Matrimonium omittente tenentur, nec ab alio (ut supponitur) sibi magis conducente Matrimonio impediuntur. Quin imò notant citati Doctores, quod Reverendissimi Ordinarii etiam pro-

hibere teneantur, ne quis ex Parochis assistat Matrimonio, casu quo parentes graviter contrariò agnoscat. Ratio est; quia concedere nequit, quod Matrimonium illicitè, ac cum peccato contrahatur. uti hic feret, juxta dictum nu. 272. Plura vide apud Gutierrez loc. cit.

Has tamen doctrinas à n. 272. limita conformiter doctrinæ n. 123. postea.

Inferitur e contra III. posse, inò debere Reverendissimos Ordinarios in Denuntiationibus dispensare, quando contradicunt parentes, & variè impedire conantur, aut minantur, Sponsalia etiam incisiis, ac invititis parentibus inter aequales tamen, vel saltem non multum, nec notabiliter inaequales contracta, eò quod, licet tales incisiis, ac inconfultis parentibus contrahendo Sponsalia ordinariè peccent, juxta dicta nu. 24. tamen post ea jam contracta ad eadem servanda graviter obligentur, juxta dicta nu. 271. ita, ut tam ipsi non observando, quam parentes impediendo gravia committerent peccata, quae, si per dispensationem in Denuntiationibus evitare vellet Ordinarius, utique dispensare potest, & tenetur, praesertim si etiam videt periculum esse, ne Sponsalibus, de futuro Matrimonio palam factis, parentes, consanguinei, aut alii uni ex Sponsis mortem, aut aliud grave malum inferant, quae pericula plerumque illicitè evanescent, si Matrimonio jam contracto parentes & alii vident, rem jam esse factam, nec ullum amplius contra eam esse remedium.

Resp. IV. Si contradictio parentum aut consanguineorum (à quibus certò speratur notabilis hereditas) conjuncta est cum seriis & justis minis ex toto exhaereditandi aliquem Sponforum, si huic, cum quo Sponsalia contraxit, nubat, habet pars altera justam causam dissolvendi Sponsalia, casu quo alias hereditas notabilis esset speranda. Hanc Conclusionem tenent Omnes num. 264. citati. Probatumque fundamentis ibidem positis. Et hic solum notanda verba, cum seriis ac justis minis; quia, si probabiliter constat, minas non ferò, sed tantum ad terrendum intentatas esse, utique sufficientes ad solvenda Sponsalia non sunt: sicut, nec, si seriae quidem, sed non justae existunt; prout forent, si parentes minarentur exhaereditare prolem, si cum altero aequali, vel saltem notabiliter inaequali, post Sponsalia jam contracta Matrimonium, ad quod juxta dicta nu. 271. jam tenetur, contrahat, hoc ipso enim, quod minae in tali casu sint injustae, inefficaces existunt, consequenter timendae non sunt, cum ex eo, quod quis invititis parentibus nubat alicui digno, & aequali, aut saltem notabiliter non inaequali, de Jure nulla proles ex toto exhaereditari possit, per dicta Lib. 3. §. XV. a. n. 409.

Aliud foret, si minae exhaereditandi provenirent à consanguineis; cum enim horum haeres necessarius Sponsus consanguineus lateralis non existat, consequenter abique omni causa exhaereditari valeat, per dicta lib. III. Tit. XXVI. de Testam. §. XIII. de Hereditibus, etiam in tali casu minae eorum merito timendae forent, & consequenter sufficientem resiliendi causam alteri parti praebere per dicta n. 264. Et idem ob paritatem rationis dicendum in anitur privationem Officii jam habiti, aut negent aliquod conferre, quod alias conferrent, si huic non nuberet, cum tamen pars altera ob possessionem & spem talis Officii Sponsalia contraxerit, non contracturus cum illo, si scivisset, quod tale Officium comparis amitteret, vel non acquireret.

Resp. V. Etiam si parentes solum minentur, vel efficaciter minari possint exhaereditem facere prolem usque ad Legitimam, si huic etiam digno & aequali,

aequali, aut non multum dispari nubat, habet pars altera justam resiliendi causam, si ex tali exhaereditatione notabilem jacturam pateretur compar. Hanc Conclusionem ex consequenti docere tenentur omnes, qui tenent, Sponsium resillire posse a Sponsa, si haec salva dote promissa, ac debita patiatur damnum notabile in bonis, quae pro dote non promittit. Et sicut Sanchez lib. 1. Disp. 59. n. 4. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 28. num. 3. Abb. in c. Quemadmodum. 10. de Jurjur. Navarr. cap. 22. nu. 27. Sylvest. §. Sponsalia. q. 10. casu 9. Gutierrez cap. 13. num. 4. & alii. ob rationem jam sepe allegatam; quia privatio spei cercæ circa bonum notabile, est de Jure non debitum, intuitu cujus Sponsalia contrahi prudenter praesumuntur, facit notabilem mutationem; consequenter sufficienter praebet resiliendi causam per dicta num. 264.

280 Idem ob Juris & rationis paritatem dic, si parentes seriò & justè minantur, nec dorem, nec aliud quiddam dare proli, casu quo huic nubat, supposito, quod aliis dos, aut alia à parentibus proli nubenti tradenda essent quid notabile; quia si modicum foret, utique curandum & attendendum non esset, hoc ipso, quod notabilem mutationem non causet.

281 Venim Conclusiones, & indesequentem doctrinam à nu. 277. positas limita in casu, quo alter haec omnia praevitit, aut praevitit, praesertim si tempore contractus Sponsalium expressit, etiam si parentes, aut consanguinei tui nihil tibi dem, vel te exhaereditent, aut si non acquiras hoc Officium, aut illo privaris &c. tamen te accipiam. Ratio patet; quia tunc non censetur adesse mutatio, ob quam si eam praevitisset, Sponsalia contracta non fuissent; consequenter nulla subest resiliendi causa.

Ceterum praefatas Conclusiones, & inde deductas doctrinas à num. 277. positas intellige de causa dissolvendi competente parti alteri minas non patienti. Jam sequuntur Conclusiones de ipso, vel alio, cui à parentibus intententur minae exhaereditandi, aut aliud grave malum inferendi, & resolvitur, an huic quoque exinde inferatur jus & causa dissolvendi Sponsalia contracta. Est quoque differentia Conclusionum harum bene notanda illis, qui ex minis upi intentatis, promissioe pro utraque parte minus rectè delumunt justam causam solvendi Sponsalia.

282 Resp. itaque VI. Pars illa Sponforum, cui minae etiam gravissimae v. g. ex toto, vel ex parte exhaereditandi in quantitate notabili, vel privandi pingui Officio, aut illud denegandi, aut aliud grave malum fortunae inferendi, non habet pro se justam causam solvendi Sponsalia, si compar non ostentibus talibus minis eam ducere, illamque steteri conformiter sustentare vult & potest, vel si pars minas patienti aliunde media adhuc habet, quae concurrentibus mediis, & auxilio comartis ad vivendum juxta statum sufficiunt. Hanc Conclusionem est expressam apud DD. non inveniunt, tamen ex communis eorum doctrina evidenter ita probò. Juxta communissimam doctrinam mutatio notabilis ex parte unius post Sponsalia emergens non praebet utrique parti justam causam resiliendi juxta dicta supra arg. c. Quemadmodum. 25. de Jurjur. ubi non utrique Sponfo, sed illi tantum ob supervenientem mutationem datur facultas resiliendi, qui mutationem passus non est. Et confirmatur adhuc exemplis: sic enim est unus Sponforum mutationem in bonis famae, corporis, aut fortunae patitur, v. g. est ob adulterium interea commissum infamis fiat, vel est aures, vel lachrym ei abscindantur; vel est per hostiles incurfus aut ingendum suis bonis spoliatur, tamen exinde non

huic mutationem patienti, sed alteri solummodo, parti praebet causa pro libitu resiliendi, ita tamen, ut, si partim gravem mutationem passum nihilominus conjungi velit, omnino possit, & illa conjungi teneatur: ergo si ob gravem mutationem in bonis etiam fortunae actu jam factam resillire non potest pars mutationem & jacturam honorum passiva, casu quo eidem nihilo minus adherere velit pars altera, multo minus resillire poterit ob mutationem, & gravem jacturam bonorum primum futuram, si hac non obstantem eidem adhuc conjungi velit compar.

Ratio est; quia pars mutationem & jacturam passiva non habet exceptionem contra suam compartem, sed tantum haec contra illam: consequenter sola pars exceptione carens repellere potest partem exceptione infectam, non autem haec illam. Accedit, quod Jura ob mutationem supervenientem concesserint facultatem resiliendi in favorem partis mutationem non passae; ergo non debet concessio in ejus odium retorqueri: nam juxta Reg. 6. Juris in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; retorqueretur autem in ejus dispendium, si ob mutationem sui Sponsi non posset ei amplius nubere, est vellet, & ob specialem affectum, aut considerationem, id desideraret.

Confirmatur, si ob supervenientem mutationem, & jacturam actualem, vel futuram bonorum fortunae, v. g. ob futuram exhaereditationem parentum aut consanguineorum etiam pars mutationem & jacturam passiva, vel passura haberet sufficientem causam resiliendi, sequenter plura absurda, videlicet I. Quòd quis Sponforum faciliè elidere posset Sponsalia, simulando, aut ad tempus efficiendo se infirmum, disformem, vel quòd sibi esset ablata notabilis pars bonorum, vel intelligendo tertium, ut intentet minas, grave malum in bonis fortunae inferendi, si huic nubat &c. prout consideranti patet.

Sequeretur II. Et quidem principaliter ad propositum, quòd, si ob minas exhaereditationis usque ad Legitimam, etiam ipsa pars exhaereditanda haberet justam causam resiliendi, possent sola contradictione parentum cuncta Sponsalia dissolvi, quia in quovis casu, etiam nulla alià existente causa parentes semper licite dicere possent: si huic nubes, usque ad Legitimam te exhaeredito facio, hoc ipso, quòd plus quam Legitimam proli relinquere non teneantur, possintque haec exhaereditationem usque ad Legitimam de Jure licite & valide semper, & pro libitu facere, per ea, quae dicta sunt lib. III. Tit. XXVI. §. XIV. Quòd autem haec sequela absurda sit, patet: Tum quia est contra communem doctrinam negantem, solà contradictione parentum posse solvi Sponsalia juxta dicta supra numer. 270. Tum quia est contra communem Tribunalium praxin & consuetudinem, quae est optima Legum interpretis, L. 37. de Legib. videmus enim, Sponfos non obstante gravissima contradictione parentum ad Sponsalia servanda obligari. Tum quia ipsis Sponsis, vel etiam aliis praebetur ansa pro libitu resiliendi, aut dissolvendi Sponsalia, dummodo nempe insigarent parentes aut consanguineos, ut dicant, se Sponfum exhaereditatos, si huic nubat. Absurdum autem in omnibus dispositionibus semper est evitandum arg. l. Nam absurdum ff. de Bonis, adde ut ad evitandum absurdum etiam verba modò, quòd possunt, inappropriari debeant, Tullius lit. A. Com. l. 66. n. 17. Barbosa de Axiomat. Jur. Axiom. 2. Absurdum, & alii.

Dicitur autem notanter in Conclusionem numer. 282. posita: Si non obstantibus talibus minis compar eam statui conformiter sustentare vult, & potest, aut

aut pars minas patiens aliunde media adhuc habet, que concurrendis mediis, & auxilio compartis ad vivendum juxta statum sufficiunt. Si enim pars minas patiens ob futurum Matrimonium suo, quem tempore Sponsaliorum habuit, statu cadere deberet, & nec ipsa, nec compar haberent media ad vivendum juxta priorem statum, utique etiam pars minas patiens justam haberet causam resiliendi. Cardinalis de Luca de Matrim. discurs. 8. num. 11. quia tunc subintrat illud vulgatum: Actus egentium non operantur ultra voluntatem eorum, arg. c. fin. de Præb. non autem præsumitur voluisse, quod alteri nubere velit, etsi ob id solum statu suo cadere deberet, sed præsumitur potius sub tacita conditione præmissis: si ob Matrimonium futurum notabilis mutatio præsertim quoad statum non imminet: timor enim cadendi statu est revera sufficiens resiliendi causa. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 28. n. 4. concordant dicta num. 264.

287 Limita tamen præced. num. doctrinam in casu, quo pars minas patiens, eas tempore Sponsaliorum prævidit; præsertim si eas in pactum deduxit, juxta dicenda infra numer. 293. Porro quandocum una pars ob futuram exhereditationem statu cadere cenitatur, regula certa dari non potest, sed ut bene observat Cardinalis de Luca loc. cit. n. 11. arbitrio prudentis Judicis relinquitur debet; qui consideratis diligenter considerandis omnibus circumstantiis, & qualitatibus personarum, locorum; temporum; & mediis Sponsorum judicabit, an revera exhereditationis minas patiens statu cadere debeat, nec ne? si sic, eam à Sponsalibus absolvat; si minus, ad nubendum condemnet Judex. Juvat tamen pro majori claritate, & faciliori praxi ex dictis aliqua in specie inferere.

288 Inferitur itaque I. ex dictis à num. 277. Quod, si puella dives, invitis aut inficis parentibus, alteri pariter diviti, aut pingue Officium habenti promittat Matrimonium, ad illud inendum teneatur, etiam si contradicentes parentes exhereditationem vel ex toto, vel ex parte minentur, dummodo ostendant Sponsus, quod non obstante tali exhereditatione puellam mediantibus propriis suis mediis, vel officio, officio, vel arte statui competentem sustentare valeat, per dicta num. 282. & seqq.

289 Inferitur II. Idem dicendum esse, si pars minas patiens aliunde adhuc media habet, aut certo sperare potest, quæ vel solæ, vel conjunctæ cum mediis, auxilio, arte, & labore Sponsi sufficient ad vivendum juxta statum. Hinc omnino audiendi sunt Sponsi, qui ad objectas serias, vel simulatas minas exhereditandi filiam respondent: ergo non curro, nec desidero vestras pecunias, quia possum & volo absque his & me, & illam mediantibus meis propriis mediis, aut arte, Officio, officio &c. statui conformiter sustentare: aut si dicunt, & probare volunt, quod puella aliunde adhuc habeat media, quæ vel sola, vel conjuncta cum suis sufficient; quorum alterum ordinariè contingit, indeque exhereditationis minas Ordinariè insufficientes esse, patet.

290 Inferitur III. Quod reciprocè etiam Sponsus non obstantibus suorum parentum minis exhereditandi teneatur ducere puellam, si hæc vel suis mediis, exhereditationis effectum resarciat: vel etiam pauperima ostendere valeat, quod Sponsus non obstante exhereditatione aliunde media habeat, aut mediante Officio, arte, labore &c. habere possit, quæ ad vivendum juxta statum eidem sufficient. Id, quod frequenter contingit, adeoque Sponsos plerumque obligat, ut Sponsam etiam pauperem ducere debeant.

291 Inferitur IV. Quod, si puella Sponsalia contrahat cum indigno, vel qui officio, arte, & mediis ad

sustentandam puellam juxta statum, in quo, tempore Sponsaliorum existebat, sufficientibus caret, parentum miræ de eadem totaliter exhereditanda, sufficientem ei præbeant causam resiliendi, non obstante, quod Sponsus dicat, ego non curo pecunias, nec eas, sed puellam volo; justè enim reponit puella: Amice habe me excusatum, ego non teneor cum statibus mei interitu tibi copulari, & tecum in paupertate vivere, quæ usque modo in omni abundantia aut sufficientia vivebam. Premissi quidem tibi Matrimonium, sed non vidi, nec præcivi, parentes meos, si tibi conjungar, me exheredituros: unde dimitte me, vel ostende, quomodo statui conformiter sustentare me velis ac pressis.

Inferitur V. Idem esse, si Sponsus ex eo, quod certa puella conjungi velit, exhereditandus, aut officio, & inde etiam statu suo privandus foret, puella non habens, unde defectum suppleat, & faciat, ut non obstante exhereditatione, aut officii privatione nihilo minus statui pristino conformiter vivere possit.

Porro, si pars minas patiens, eas earumque effectum bene prævidit, & multo magis si tempore Sponsaliorum eas etiam in pactum deduxit, dicendo, v. g. scio quidem, ac prævideo, parentes meos summe fore contrarios, indeque me vel ex toto, vel ex parte exheredituros, aut omne auxilium mihi denegaturos: aut si dicat: Etiam si parentes, vel infan-guini me essent exhereditaturus; vel etsi privarer illo officio, gratia &c. consequenter statui me conformiter vivere non amplius valerem, nihilo minus Matrimonium tibi promitto, & promissum servabo, licet etiam (uti amore capti plerumque addere solent) tecum mendicare deberem &c. teneatur alteri nubere, non obstante, quod propterea statu cadere deberet. Ratio est; quia in tali casu unicam, quæ ipsam excusaret, causam ipsæmet annullavit, ac infirmavit, juriq; suo renunciavit, quod quilibet potest. c. Si de terra. 6. de Privilegiis, ubi: Cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare. Nec amplius habet regressum, qui semel renuntiavit juri suo, l. Queritur, §. Si venditor. ff. de Edict. edit. & l. Si maritus. 15. §. Si negaverint. ff. ad Leg. h. de Adult.

Queritur V. An, & quomodo solvantur Sponsalia ob superveniens impedimentum? Resp. I. Per superveniens impedimentum dirimens, v. g. affinitatem contractam ex copula carnali habita post Sponsalia cum consanguinea in primo vel secundo gradu alteri Sponsorum junctæ, solvantur Sponsalia ex utraque parte. Sanchez lib. 1. Disp. 56. Gutierrez de Matrim. cap. 32. num. 1. cum unanimi aliorum. Ratio est; quia instante impedimento dirimente nec licitè nec validè contrahi potest Matrimonium Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 4. Ad impossibile autem nemo tenetur, l. Impossibile. ff. de Reg. Juris: ergo.

Resp. II. Tenetur nihilo minus is, qui culpâ suâ fornicando v. g. cum consanguinea Sponsæ impedimentum dirimens posuit, propriis sumptibus Româ dispensationem procurare, si pars innocens velit. Sanchez loc. cit. num. 2. Ledesma de Matrim. q. 43. a. 3. causa 3. Sporer in Theolog. Sacram. p. 4. cap. 1. sect. 2. num. 276. cum communi. Ratio est: tum ne aliàs ex iniquitate suâ commodam reportet, contra dispositionem l. Non fraudantur. ff. de R. J. Tum quia culpabiliter apponendo impedimentum, injustè læsit jus alterius, consequenter ex justitia tenetur illud reparare, si potest, arg. c. fin. de Injur. & damn. dat. potest autem procurando dispensationem; ergo.

Limitant Sanchez, & Gutierrez Conclusionem 296 in casu, quo valdè magnæ, & extraordinariæ expensæ essent necessariæ ad obtinendam dispensatio-

fationem. Verum hanc limitationem rejiciunt Castro Palao, & Ledesma loc. cit. eò quod jus ad Matrimonium in se revera etiam sit magnum, & pretio satis æstimabile, consequenter injustè læsum expensis etiam magnis reparari debeat, arg. cit. c. fin. de Injur. & damn. dat. Illud communiter etiam Adversarii concedunt, quod, si ex non secuto Matrimonio emergeret parti innocenti grave damnum in bonis famæ aut fortunæ, ad dispensationem magnis quoque expensis procurandam teneretur.

297 Verùm hæc limitatio Doctorum frustranea videtur; eò quod dispensatio in tali casu ordinariè, vel nullis, vel modicis expensis obtineri valeat, hoc ipso, quod ordinariè impedimentum affinitatis proveniat ex copula manente occultata, adeoque dispensatio non in Dataria, sed Pœnitentaria obtineri possit ac debeat. In Pœnitentaria autem dispensationes sine ullo obolo obtineri, & à quovis Confessario procurari videntur; dummodo Reus modicas postea expensas solvat, ad quas utique tenetur juxta dicta num. 295.

298 Dices: quæ de Jure fieri nequeunt, impossibilia censentur arg. l. Apud Julianum. ff. de leg. 1. I. Ad impossibile autem nemo tenetur, etsi dispensatione tolli possit, ergo. Resp. Argumentum non procedere, quando dispensatio necessaria est ad rescandendum jus tertii injustè violatum; cum justitia exigat, ut cuius reddatur jus suum modo possibili; consequenter, quia resarciat per dispensationem bene potest, ad eam procurandam utique tenebitur injustus violator. arg. cit. c. fin. de Injur. & damn. dat. Resp. Circa impedimenta impedientia tantum, cum ad præsens solummodo votum in quæstionem veniret, de hoc autem an, quando, & quomodo Sponsalia dirimat, jam supra diximus & adhuc dicemus infra Tit. VI. qui Clerici vel solventes hinc nihil amplius repetendum duximus.

299 Queritur VI. An hæcenus recensitæ dissolvendi Sponsalia cause facultatem præbeant, quando non post Sponsalia emergerint, sed prius exitebant? Resp. Affirmativè, Sanchez lib. 1. de Matrim. Disp. 63. nu. 2. Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 29. n. 1. Gutierrez cap. 234. de Matrim. n. 2. Layman lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 19. cum communissima aliorum. Ratio est; quia in Jure paria sunt, supervenire aliquam talem causam, & ignoranter præcedere; cum res tunc de Jure censentur fieri, quando innotescit, arg. c. Pastoralis. de Except. De Jure enim paria sunt non esse, & non apparere, arg. l. In leg. ff. de Contrah. Empt. consequenter, quando causa aliqua latet, censetur nondum esse, & quando dein innotescit, perinde est, ac si de novo superveniret. Hinc in generali, & simpliciter obligatione non censetur comprehensa ignota illa, quæ cognita ab obligatione contrahenda præterteret. arg. l. Obligatione generalibus. ff. de Pignor. & L. 2. C. Que vis pignori, & c. Veniens. de Jurjur.

300 Limitatur tamen Conclusio in casu fornicationis, tæchum, & osculorum à Sponso ante Sponsalia commissorum, juxta dicta n. 246. ubi etiam n. 247. habes objectionem contra Conclusionem ex c. 25. de Jurjur. solutam.

301 Queritur VII. An Sponsus, vel Sponsa laborans aliqua ex dictis causis, aut defectu occulto, qui cognitus à Sponsalibus averteret, eo tacito licitè possit contrahere Sponsalia, & compartem ad executionem commellere? Resp. Si alteruter Sponsorum laborat tali defectu, qui multum noxius futurus foret etiam alteri parti, vel Matrimonium notabiliter redderet difficilissimum, tenetur vel à contractu abstinere, vel illum defectum detegere, sive ante five post Sponsalia emergerit. Palao loc. cit. punc. 30. num. 5. Perez Disp. 11. sect. 2. num. 9. Gobath

302 Tract. 10. Casu 9. n. 367. Coninck Disp. 23. n. 10. Turrian. Pontius. Sporer p. 4. cap. 1. sect. 3. n. 286. & alii contra Sanchez lib. 1. Disp. 68. Ratio est; quia aliàs in contractu graviter deciperet compartem, & contra justitiam peccaret, sicut qui mercēs inutilis, aut noxias venderet credenti eas bonas & utiles esse. l. 1. ff. de Edict. edit. & amplius dictum est Lib. III. Tit. XVII. de Empt. & Vendit. l. 1. ff. de Actio. Empt. & Vendit. Hujusmodi defectus esse censentur, paralysis, epilepsia, lepra, morbus gallicus (nisi curetur) vel alius morbus contagiosus; infamia ex genere, vel ex delicto proveniens; impregnatio Sponsæ ab alio facta &c. hæc enim & similia Matrimonium revera notabiliter d. difficilissimum reddunt, utpote quæ vel generationem impediunt, vel à sociali vita avertunt, vel honestæ educationi proficiunt officium, vel avertionem, et discordias continuas generant &c. Fatentur nihilo minus DD. communiter, Matrimonium occulto tali defectu illicitè contractum esse validum.

Resp. II. Si occultus defectus ita non nocet, nec Matrimonium notabiliter d. difficilissimum reddit, licet minus commodum, & appensibile efficiat, non tenetur eum manifestare laborans illo. Palao loc. cit. n. 2. Coninck Disp. 23. dub. 12. Concl. 1. Sporer loc. cit. Pontius lib. 12. cap. 18. n. 6. & reliqui num. præced. citati, cum communi aliorum. Ratio desumitur ex consuetudine & communi consensu, quo receptum habetur, quod nec in Sponsalibus, nec in aliis contractibus leviores defectus invicem manifestentur, indeque licet non indagaverit. Hujusmodi defectus leviores dicuntur DD. præfati, esse, si Sponsa ante vel post Sponsalia fuit fornicata; si alteruter sit deformis, pauper, aut ignobilis, tamen credebatur dives, aut nobilis: item si quis habet deperditos mores, quos proponit corrigere &c. Invid addit Palao loc. cit. Sanchez lib. 6. Disp. 27. nu. 9. Sponsam recens nuptiam, quæ virgo putabatur, & tamen est corrupta, licitè posse uti mediis aliquibus ad suam vitam occultandam, ne à viro deprehensa malè tractetur; quia per hoc viro non nocet, nec facit injuriam, & sibi favet.

303 Resp. III. Si alteruter Sponsorum labore defectu occulto leviori juxta num. præced. potest insuper cogere compartem ad servanda Sponsalia: scilicet, si laboret defectu occulto Matrimonium notabiliter difficilissimum reddente: ita citati DD. Ratio prioris partis est; quia, cum laborans occulto defectu minus nocivo sine peccato injustè Sponsalia validè contrahat, indeque jus ad Matrimonium acquirit, utique ad illud cogere potest; quia jure suo uti, illudque prosequi quis potest, per vulgaria. Ratio secunda partis patet, quia hoc ipso quod, ut ex nu. 301. supponitur, impletur contrahere sine peccato injustè non possit, alterum ad secum contrahendum adigere non valet. Plura de hac utpote magis Theologica quam Juridica quæstione potiusque internum, quam externum Forum concernente, vide apud DD. citatos.

304 Queritur VIII. An, & quando in casu existentis cause dissolvendi Sponsalia, censentur pars altera renuntiare juri suo, quod habet ad dissolvenda Sponsalia; præsertim an eidem renuntiat per fornicationem cum Sponso, postquam defectus innovit, habitam? Ante responsum notandum, sicut in aliis, ita & in puncto dissolvendi Sponsalia, quemvis posse renuntiare juri suo, arg. c. Si de terra. 6. de Privileg. Tacitè vel expressè, verbis vel factis: Verbis expressè renuntiat, si cognito defectu alterius dicit; se eo non obstante vellet eidem nubere. Facto expressè renuntiat, si cognito prius latente, vel primùm superveniente defectu eidem nihilo minus

lo minus actu nobis. Idem facere consetur, qui ante Sponsalia contracta defectum seu causam alias ad solvendum sufficientem, in altero bene scit, & tamen Sponsalia cum eo contrahit; talis enim ob huiusmodi defectum prius jam cognitum Sponsalia solvere minia e potest; nam semper iuste reclamatur pars altera dicendo: tu me ita constitutam optime sciebas, & tamen Sponsalia mecum ut tali contrahebas, & consequenter mihi ut tali nubere debes, scieni enim, & consentienti non fit injuria, neque dolus, c. 27. de Reg. Jur. in 6. Et hac omni controversia caret. Hinc Quæstio sola remanet, an, & quando per subsequentem fornicationem tacite censetur renunciare juri suo? Ad quam

305 Resp. Si Sponsus vel Sponsa post cognitam causam de novo advenientem, aut prius latentem, copulam habet cum sua comparte, tacite censetur renunciare juri dissolvendi Sponsalia. Boico p. 5. Disp. 11. sect. 2. Concl. 13. Sanchez lib. 1. Disp. 66. Tambur. Tract. 3. cap. 5. §. 9. n. 4. Layman. lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. Sporer loc. cit. n. 285. cum communi. Probat Conclufio; quia ipsi etiam conjuges Matrimonio jam juncti consensu cause divoriti per copulam carnalem censetur renunciare juri petendi divortium, & accusandi compartem de adulterio commissio, arg. l. Si usor. 13. in fine. ff. ad Leg. Jul. de Adult. & l. Crimen ad Leg. Jul. de Adult. ergo similiter Sponsus tali copula perdit jus resiliendi à Sponsalibus. Verum quia paritas bene negari potest; hinc minus efficacem agnoscit hanc probationem Boico. Probat igitur ratione, videlicet; quia, si post cognitam talem causam nihil minus carnaliter conjugitur Sponsæ, merito præsumitur affectu Sponsalio id facere, eodemque id admittere Sponsa.

306 Limitatur tamen Conclufio. quoad Forum internum in casu, quo quis revera non animo Sponsalio, sed solo fornicario copulam habet, minime intendens juri suo renunciare, Tamburinus, Sporer, loc. cit. contra Sanchez loc. cit. n. 3. quia in Foro interno præsumptio cedit veritati; per vulgaria: consequenter cum præcipuum fundamentum Conclufionis consistat in præsumptione, eo cadente, cadit & ipsa in Foro interno, quamvis in externo Foro non crederetur.

307 Nec dicas cum Sanchez, Coniugum etiam in Foro interno perdit jus petendi divortium, etsi non habeat animum remittendi tale jus; ergo idem est de Sponsis. Resp. enim negando consensu & paritatem. Disparitas est, quod circa Coniuges habeatur clarum Legis dispositionem, non item circa Sponsos, utpote circa quos in sola præsumptione consistit potissimum argumentum.

308 Queritur IX. Utrum ad solvenda Sponsalia opus sit autoritate Judicis? Resp. I. Per se loquendo nulla de Jure communi requiritur autoritas Judicis ad solvenda Sponsalia five publica, five occulta, quando causa dissolvendi est certa. Sanchez lib. 1. Disp. 69. n. 2. Gutierrez de Matrim. cap. 35. nu. 4. Navarrus in Man. cap. 22. nu. 28. Sylvester v. Sponsalia. q. 11. Boico loc. cit. Concl. 11. cum communi aliorum. Ratio est: tum quia Judicis autoritas nullibi in Jure requiritur. Tum quia Sponsalibus tacita inest illa conditio: Si res in eodem statu permaneat; five Nisi iusta causa dissolvendi interveniat.

309 Dicitur autem notanter per se; quia per accidens ratione scandalii v. g. bene contingere potest ut necessaria sit Judicis autoritas; sic, quando Sponsalia sunt publica, causa verò ea dissolvendi est occulta, ratione scandalii evitandi requiritur Judicis interventus, ut bene advertit Sanchez loc. cit. nu. 6. Gutierrez loc. cit. nu. 6. Sylvester loc. cit.

& alii communitur; quia scandalum semper, & propossibili avertere oportet. Si tamen causa certa ita esset occulta, ut cum probare innocens non valeat, possit sine ullo peccato propria auctoritate resiliere; prout loc. cit. bene observat Sanchez. Tum quia talis utitur jure suo: Tum quia, si infirmet instantiam faceret, in probatione deficiens ad nubendum cogere.

Dicitur secundò, de Jure communi; quia Jure speciali plurimum Dicoesum semper requiritur autoritas Judicis; quando Sponsalia publica & notoria sunt; ut de Constantiensi, & Mechlinensi testatur Gobath, & de Frisingensi patet ex ejusdem Rituali novo, Art. 1. de Sponsal. in fine; idque ad lites, & controversias evitandas.

311 Resp. II. Quando Sponsalia sunt certa, causa dissolvendi autem dubia de jure, vel de facto. Judicis necessaria est autoritas pro utroque Foro. Ita DD. citati cum communi. Ratio est, tum quia nemo est iudex in propria causa, l. un. C. Ne quis in sua causa. Tum quia in pari causa prior est conditio possidentis, c. 65. de Reg. J. in 6. & l. 12. 123. ff. de R. J. consequenter cum unus sit in possessione Sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privati.

312 Queritur X. Qualis probatio requiritur pro dissolutione Sponsalium? Ante responfionem notandum, aliud esse, si in causa dissolvendi allegata est impedimentum impediens, vel dirimens, Matrimonium, uti v. g. effectus consanguinitatis, aut affinitatis ob fornicationem Sponsi cum consanguinea Sponsæ, aut votum castitatis ante Sponsalia emissum &c. Aliud verò, si talis causa nec impedit, nec dirimit Matrimonium, sed tantum præbet facultatem dissolvendi, prout foret fornicatio Sponsi cum altera non consanguinea, aut alia causa, de quibus hæcenus. H. N. Resp. I. Si causa ad dissolvendum producta est impedimentum impediens, vel dirimens Matrimonium, tunc ad eam probationem sufficit confessio utriusque; imò etiam unius Sponsi, qui Matrimoni contractum optat; sed non illius, qui eidem resistit. Item sufficit fama à fide dignis orta: quin & unus testis extraneus ceteroquin inhabilis. Conclufio habet plures partes. Prima pars, quòd utriusque confessio sufficiat, caret omni controversia. Ratio est; quia esto causa verè non subsisteret, adesset utriusque consensus ad solvenda Sponsalia, ut bene observant Gutierrez de Matrim. cap. 36. n. 18. Menochius lib. 2. de Arbitr. Judic. Sanchez lib. 1. Disp. 72. n. 2. Castro Palao de Sponsal. Disp. 1. punc. 32. n. 2. Mutuus enim consensus per se sufficiens est ad solvenda Sponsalia per dicta n. 203.

313 Secunda pars, quòd sufficiat testimonium unius ex Sponsis, qui Matrimonium exoptat, docent Doctores num. præced. allegati, & Mascardus Concl. 1035. n. 17. & 18. Abbas in c. Super eo. de Testib. & Attestat. cum communi aliorum, arg. c. Attestat. 10. de Respons. Impub. Ratio est; quia hoc ipso, quòd Matrimonium affectans confiteatur causam dissolvendi, & alter Matrimonio aliàs resistat, rursus utriusque videtur adesse consensus, ut bene advertunt DD. citati. Secus est, si testimonium de causa ferat solus ille, qui Matrimonio resistit, altero idem assistente, ita citati DD. Ratio est; quia cum in tali casu ferat testimonium in suam favorem, & alterius præjudicium, ei soli credendum non est, uti bene advertunt citati Doctores, arg. c. In omni 4. & c. Licet. de Testib. & Attestat.

314 Terciam partem, quòd etiam fama probetur, docent Doctores jam citati, arg. c. Super eo. de Consanguin. & Affinit. ibi: Si fama loci hoc habeat &c. debet absolvi. & ibi Abbas cum communi aliorum: ut tamen

tamen talis fama probet, debet esse legitime probata, uti bene observat Gutierrez loc. cit. num. 14. Castro Palao loc. cit. n. 7. nisi impedimentum esset notorium, Sanchez loc. cit. n. 15. juxta textum, & Glossam l. 1. C. Qui, & adversus quos. Ceterum quæ ad probationem fame requirantur, vide Lib. II. Tit. XX. de Testib. & Attestat. §. 12.

315 Quartam partem, quòd sufficiat etiam testimonium unius, etsi aliàs inhabilis, & propriam turpitudinem allegantis, tenent Gutierrez loc. cit. n. 2. Castro Palao loc. cit. n. 3. & Mascardus loc. cit. n. 3. & teste Gutierrez Omnes: claris Juribus c. Præterea 12. h. t. ubi Sponsalia ex hoc solo dissoluta sunt, quòd unus consanguineus Sponsi deposuerit, se cum Sponsa prius copulam habuisse, & c. Super eo. 22. de Testib. & Attestat. ubi ad unius mulieris testimonium de consanguinitate Sponsorum affirmantis dissolvebantur Sponsalia. Ratio est; quia, cum in tali casu agatur de impediendo peccato, & animæ periculo, sufficit unius testimonium, arg. cit. c. Præterea. 12. h. t. ibi. Ne deterius inde contingat.

316 Ut tamen unius testis in hoc sufficienter probet, requiritur primò, ut jurato deponat. Castro Palao, loc. cit. n. 4. Gutierrez loc. cit. n. 8. & alii. Ratio est; quia agitur de præjudicio tertii, in quo casu nulli, nisi jurato credatur, etsi agatur de vitando peccato. Sanchez Disp. 71. n. 10. & alii communitur, arg. c. Tua de Cohabit. Cleric. Secundo requiritur, ut jurato deponat ex certa scientia, Gutierrez loc. cit. n. 9. Palao loc. cit. Sanchez loc. cit. Ratio est; quia aliàs tantum esset testis de auditu: consequenter insufficientis, nisi deponens diceret, se audivisse saltem à duobus suis majoribus, distinguereque gradus affinitatis & consanguinitatis juxta c. Licet ex quadam. de Testib. tunc enim solus sufficeret, ita DD. citati.

317 Tertio requiritur, ne ille unius testis sit vilis persona, Sanchez cit. Disp. 71. n. 12. Abbas in c. Properea. 12. h. t. in fine. Gutierrez loc. cit. n. 12. Palao loc. cit. n. 4. cum communi. Ratio est; quia vilis persona neque ad denuntiandum admittitur (etsi agatur de vitando futuro peccato) nisi factum sit ita clandestinum, ut non nisi per vilem personam probari valeat, ut probat textus cum Glossa c. Cum dilectus. de Elect. & c. Præterea. de Testib. Hinc an, & quando unius testimonio fides adhibenda sit, sæpe arbitrari debet prudens Judex, qui consideratis qualitatibus, & circumstantiis personarum, in specie etiam, an placeat, vel displiceat tali testi Matrimonium, judicabit. Sanchez loc. cit.

318 Porro, quomodo talis, qui solus occultum impedimentum Sponsorum scit, habere se debeat, bene cum aliis practice docet Gutierrez loc. cit. n. 3. dicens, talem, etsi impedimentum occultum probari nequeat, teneri illud denuntiare, eà tamen cum distinctione, ut, si impedimentum proveniat ex crimine occulto, monere prius in oculo debeat ipsum criminis Reum, ut à contractu abstineat, & infamiam vitet: Si verò hunc admonere non expediat, vel admonitus non acquiesceret, monendi essent viri timentes Deum, parentes, consanguinei, amici &c. ut eum persuadeant. His autem nihil efficientibus Judici denuntiari deberet: quod ultimum factum facere potest, si impedimentum non à crimine provenit; quamvis etiam illis præambulis uti bene valeat.

319 Cæterum Glossa in c. Super eo. de Consang. & Affinit. n. 8. fama limitat quartam partem Conclufionis num. 315. positam, quando Sponsalia sunt jurata: Glossam sequuntur plures à Sanchez, & Gutierrez loc. cit. allegati, arg. c. Præterea 12. h. t. ubi habet Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

betur, Sponsalia testimonio unius solvi, nisi sint jurata, & c. Cum tua. h. t. ubi præter testem requiritur fama ad solvenda jurata Sponsalia. Verum Palao loc. cit. n. 6. Gutierrez loc. cit. n. 8. Sanchez cit. Disp. 71. n. 8. cum communi, & probabilius aliorum hanc limitationem rejiciunt, & dicunt, etiam jurata Sponsalia testimonio unius de impedimento ex certa scientia jurato deponentis dissolvi. Tum quia c. Super eo. de Testib. & Attestat. absolute ac indistincte decernitur, testimonium unius ad impedimentum probandum sufficere. Tum quia juxta ipsos etiam Adversarios sola fama sine concursu testis sufficienter id probat; ergo etiam unius testis, cum hinc integer æquè, imò efficacius probet, ac fama, ut in confesso est, & videre est apud Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 45. n. 77. & conlat ex dictis Lib. II. Tit. XX. de Testib. §. 12.

Nec obstat c. Præterea. 12. h. t. quia ibi allegatur testis non omni exceptione major, quem solum ad probandum contra Sponsalia jurata non sufficere, transmitti potest. Pariter non obstat c. Cum tua. h. t. quia ibi testis tantum denuntiavit, non autem deposuit, prout bene advertunt Sanchez, Gutierrez, Palao loc. cit.

320 Dices, ad probandum impedimentum contra Matrimonium jam contractum non sufficit unius testis, sed requiruntur duo, c. Licet de Testib. & c. 1. de Consanguinit. & Affinit. ergo etiam contra Sponsalia. Resp. negando Consequenter, & pariterem. Disparitas est; quòd esto etiam in casu Matrimonii jam contracti agatur de vitando peccato futuro, agatur tamen de jure jam quesito ac possessio tollendo; simulque de vinculo dissolvendo, quod per se indissolubile est: Hinc mirum non est, si contra illud fortiores probationes requirantur.

321 Resp. II. Si causa resiliendi non est aliquid impedimentum dirimens, vel impediens, sed tantum facultatem præbet dissolvendi Sponsalia, nec sola fama, nec testimonium unius etsi jurati, & omni exceptione majoris testis sufficit, sed requiruntur duo testes omni exceptione majores, vel alia æquivalens plena probatio. Gutierrez loc. cit. num. 17. Sanchez Disp. 71. n. 7. Palao loc. cit. n. 8. Coninck dub. 11. Concl. 4. num. 5. Perez, & alii contra Paludanum. Ratio est; quia in tali casu non agitur de vitando peccato futuro, ob quod solummodo sola fama, aut unius testimonio pro sufficiente probatione accipitur, cit. c. Super eo, & c. Præterea. Hinc ratione & causâ hæc cessante, recurrendum ad communem Juris dispositionem, in cuius ad probandum in præjudicium tertii semper requiruntur duo testes omni exceptione majores, aut æquivalens plena probatio, arg. l. Ubi numerus. 12. & l. Jure jurandi. g. C. de Testib. juncto c. In omni. 4. & c. Licet. 23. de Testib. & Attestat.

322 Queritur XI. An ex iusta causa resiliens à Sponsalibus teneatur ad expensas ab altera parte factas in ordine ad futurum Matrimonium, puta ad preparandam consuetam solemnitatem & pompam, ad procurandam dispensationem, ubi opus est, & similia? Resp. I. Quando iusta causa resiliendi provenit ex culpa unius (quia v. g. fornicatur, aut ex delicto infamiam contrahit, aut qui defectum, quem juxta dicta num. 301. patefacere debuisset, iniquè abscondit &c.) non tenetur pars altera ad ulla expensas. Boico p. 5. Disp. 12. sect. 2. Concl. 14. Sanchez lib. 5. Disp. 5. n. 33. & 34. cum communi & certa aliorum. Patebit Conclufio ex sequenti, ubi dicemus iuste resilientem etiam tunc non teneri alteri in expensas, quando causa dissolvendi absque culpa alterius supervenit. Interea hæc addendum, quòd secundum Sanchez loc. cit. num. 34. Boico loc. cit. n. 270. & alii doceant, in casu, quo quis